

quae scripsit in loco allato : Michaelem Servetum in Scholis
Lutheranorum, quibus operam dederit, crebro audivisse, Ver-
bum DEI non esse Patrum aut ecclesiae explicacioni, sed Spi-
ritus solius testimonio atque iudicio alligatum, coepisse itaque
lites de Christo & Prophetis nomen adscivisse : ac pestilen-
tissimas opiniones de SS. Trinitate sparsisse. Verum praet-
ter veritatem afferit purpuratus, Servetum Lutheranorum
Scholis operam dedisse, quod ex Joh. WIGANDI libello de
Servetianismo, nec non SCHLUSSELBURG. Catalogo Haeref.
P. XI. satis patet, qui potius in Hispania natus & inter Gallos
ac Helvetios circumvagatus fuit. Quodsi vero nonnullos
Libros evangelicos legit, quid quaeso reperit, quod ad tanta
portenta opinionum perducere potuerit ? Respondet Bellar-
minus, fecisse hoc doctrinam nostram de Verbo DEI, non
ex ecclesiae autoritate dependente, sed Spiritus testimonio :
Atqui haec nostra doctrina non est, iudit enim & convi-
tium sub nomine Spiritus occultat, non enim Spiritui τῷ ἴδιῳ
& Fanatico cuivis, subjiciemus Scripturae S. interpretationem,
sed Spiritui S. intellectum Scripturae per certa, & in ipsa Scriptu-
ra suppeditata, media hermenevtica, homini legitimis subsi-
diis instructo, largienti. Quid vero hoc ad Servetum ? quem
nostra doctrina profligat, nullo modo erigit ? Ita praet-
erea inter se dubii & contrarii sunt adversarii, ut nunc di-
cant Servetum Lutheranos habere discipulos, nunc afferant
eos magistros fuisse Serveti, inter quos tamen norunt plus esse
divortii, quam inter Servetum & Pontificios : non enim diffi-
tetur Bellarmius in Praefat. dicta, undique Lutheranos, Bren-
tianos, Melanchthonicos consurrexisse adversus Tritheistas,
contra Servetum, contra Gentilem, contra Blandratam, contra
Gregorium Paulum, contra ministros in Polonia atque Hun-
garia, vel Arianos vel Samosatenianos. Annon itaque calu-
mniam